



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 10. De juramento non alienandi res Ecclesias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

emphyteusim, seu alias alienando (v. g. vendendo, vel permutando) quamvis in forma, & casibus, alioquin à jure permittis, neque recognoscendo, seu profitendo à Laicis, tanquam superioribus, ea se tenere:

1223 Secundo, quòd non liceat, eos Patronos, aut Advocatos Ecclesiarum, aut bonorum earundem, perpetuò vel ad tempus longum constituere. Contractus autem omnes (sine dictæ sedis licentia, & Capituli consensu) celebrari etiam si juramenti (quod non debet esse vinculum iniquitatis Gloss. hic *V. eodem*) aut poenæ, vel alterius firmitatis adjectione muniti sint, irriti decernantur, & quidquid ex eis secutum fuerit; adeo, ut neque jus ex iis, neque præscribendi facultas acquiri possit: ergo Prælati Ecclesiastici in rerum Ecclesiasticarum etiam extra territorium alienandis non dependent à consensu principis secularis, in cujus territorio res illæ sitæ sunt.

1224 Bz. Per hoc, ubi ex legitime præscripta consuetudine Prælati Ecclesiastici non permittuntur res Ecclesiarum extra territorium Principis alienare in alium, non subditum, sine consensu Principis, nihil sequi contra c. *Consultissimo*. Nam per hoc, quod debeant requirere consensum Principis, non fit, quod profiteantur, se à Laicis, tanquam superioribus, ea bona tenere; aut quod eos perpetuo, vel ad tempus longum Patronos, & Advocatos constituent, ceterum occasionem enim huic constitutioni dedit ille casus, quo quidam Prælati, & Rectores Ecclesiarum oppressi contra opprimentes invocabant, Nobiles, & potentes ad se defendendos, constituendo eos advocatos, vel defensores Ecclesiarum suarum, & bonorum, ac jurium earundem, & præterea illi sibi vendicabant, jus quoddam Dominii, & advocaciones in Ecclesiis, & earum bona sibi submissa seu subjecta. Quare in Concilio Lugdunensi prohibitum fuit Prælati, & Rectoribus Ecclesiarum, ne Ecclesias, vel bona immobilia, & jura earum talimodo submittant, seu subjiciant Laicis, ita ut ab ipsis de novo tanquam Dominis, & Advocatis ea recognoscant: at per hoc, quod in alienatione cæteroque jure Ec-

clesiastico licita, simul indigeant consensu Principis, consuetudine præscripta, quando in exterum ea transferre volunt, nihil tale contingit: ergo.

§. 10.

De juramento non alienandi res Ecclesias.

1225 CUM in certis Ecclesiis Prælati communiter jurare debeant de bonis suæ Ecclesiæ non alienandis, inconsulto summo Pontifice, quæri potest 1. an jurans bona Ecclesiæ non alienare, peccet contra hoc juramentum non alienando dominium rei *directum*; sed tantum *utile*, vel *pignorando*. Covarru. 2. variar. c. 16. n. 2. negat; quia in odiosis est stricta interpretatio; Sic autem *alienatio* importat solam alienationem *Dominii directi*; Sed probabilior est affirmativa; nam juramentum absolute sumptum intelligendum est juxta qualitatem materiæ, supra quam cadit: Materia autem hic, supra quam cadit juramentum, est alienatio latè sumpta per n. 1156. & importat etiam alienationem pignoratione, feudo, n. cit. dictum est: ergo. Sic Panormit. in c. *Intellecto*, de jure jur. n. 10.

1226 Quæri potest 2. an juramentum, quod communiter faciunt Prælati, non alienandi ulla bona Ecclesiæ, nisi Pontifice consulto, intelligatur etiam de alienatione alias jure permittis? Affirmativam sequitur Azor p. 2. l. 9. c. 14. 9. cum aliis Castropalaus tamen p. 2. de Reverentia debita Ecclesiasticis d. *unic.* p. 15. à n. 4. tuetur negativam, & docet, illud intelligi de alienatione *illicita*, & contra formam juris. Ratio hujus est 1. quia Prælati non obstante tali juramento, etiam inconsulto Pontifice licite alienat res inutiles Ecclesiæ. Deinde, quia juramentum non alienandi res Ecclesiæ primum, intelligitur solum de alienatione *prohibita*: ergo etiam juramentum non alienandi *inconsulto Pontifice*. Antecedens etiam tenet ipse Azor cit. l. 9. c. 1. q. 17. quia juramentum *de materia juris* intelligitur juxta terminos juris: ergo etiam juramentum de non alie-

alienando, *inconsulto Pontifice*, intelligi debet de non alienando in illis casibus, in quibus consensus Pontificis de jure requiritur; juxta Extravag. *Ambitiose*: at per hanc non requiritur in casu alienationis jure permiffa, nisi sit ex illis, de quibus n. 1156. nec ubi specialiter, ultra justam causam, & formam juris, de jure exigitur, prout etiam colligitur ex Constit. Urbani VIII. relata n. 1158, ubi expresse prohibet omnem alienationis speciem *inconsulto Pontifice*; clare tamen excipit casus à jure permiffos, adeoque illas tantum alienationes irritas decernit *inconsulto Pontifice* factas, quæ jure permiffa non sunt; sed factæ cum justa causa, & juris solemnitate jure permiffa sunt exceptis illis, de quibus dictum est n. 1164. ergo.

1227 Dices 1. juramentum aliquid debet operari; si autem ad solas alienationes prohibitas extenderetur, non apparet ejus utilitatis sit. R. id posse instari in aliis contractibus; ubi debitum ex contractu, etiam secluso juramento, licet non negabile, firmari potest juramento, quia scilicet vinculum juramenti firmiorem reddit in observando promiffio Prælatum, ut magis, ac studiosius curet ea, quæ observanda sunt ex forma juris; hanc autem firmitatem non habet secluso juramento; & quamvis negari non possit, illud juramentum extendi posse ad alienationes quascunque, ut cautius, & consultius fiant, de facto tamen sic extensum non esse, constat ex probationibus factis.

1228 Dies 2. in Extravag. *Ambitiose* de rebus Eccles. non alienand. statuuntur poenæ adversus eos, qui *inconsulto Romano Pontifice*, aut contra illius constitutionis præscriptum tenorem, res Eccles. alienaverint: ergo solus defectus *consultationis Pontificæ* sufficit ad incurrendas poenas, tamen si servetur præscriptus ordo, appositus in dicta constitutione; quia ad incurrendas poenas vel defectus Consultationis, vel defectus alicujus conditionis requisita, sufficit, siquidem sub disjunctione apponitur, & ad disjunctivam sufficit unam partem esse veram, ex L. *Plerumque*. ff. de jure dotium. c. *in alternativis*. de Reg. juris in 6.

1229 Ante responsionem not. consensum

Romanum in illis duntaxat casibus alienationum exigi juxta extravag. *Ambitiose*, in quibus de jure exigitur *tractatus*, & *consensus Prælati*; illis enim conditionibus voluit Paulus III. consensum Pontificum superaddi; non autem aliis, quæ nullum tractatum, nullum superioris consensum, nullam juris solemnitatem exigunt; quibus positis: R. dato anteced. dist. conf. ergo solus defectus consultationis Pontificæ sufficit ad incurrendas poenas, ubi ea requiritur; C. ubi ea non requiritur, N. conseq. quia sic ejus omiffio non importat culpam; at solus requiritur in alienationibus illicitis, nimirum ubi tractatus, & consensus superioris de jure requisitus omittitur. Ergo.

Ex his deducitur, quod juramentum, de quo in præfens, probabilius comprehendat illicitas tantum alienationes, & factas contra formam juris; ratio sumitur ex n. 1226. & confirmatur 1. quia jurans non infeudare bona Eccles. *inconsulto summo Pontifice*, non intelligitur de feudo dato, & ad Ecclesiam devoluto: quia hic modus est per se licitus; sed, de nova feudi datione, quæ illicita est. 2. Prælatus jurans perpetuo in Ecclesia commoraturum, non obstante illo juramento potest abesse ex causa necessitatis, vel utilitatis Eccles. Quia juramentum factum in materia juris, ad juris terminos restringi debet: Ergo juramentum factum de non alienando, nisi *consulto Romano Pontifice*, intelligi debet de non alienando in illis casibus, in quibus Romanus consensus à jure postulatur.

Deducitur 2. alienationes rerum immobilium, aut mobilium pretiosarum factas nulla existente honesta causa ex assignatis n. 1185, illicitas esse, consequenter contra juramentum, si quod præstitit alienans de non alienando; sequitur ex n. præced. nam ubi honesta causa non est, saltem in cognitione operantem regulante, actus honestari non potest honestate virtutis; cum ad hoc requiratur, ut fiat ex fine virtutis, ejus honestatem operans quarit; quod enim non est, nihil operatur; adeoque nec honestatem in actum refundit. Ex quo ulterius sequitur, requiri, quod causa honestans alienationem (v. g. evidens Ec-

Ecclesie necessitas, vel utilitas) tunc existat, cum alienatio fit; ac id debent constare, cum de alienatione facienda Capitulariter tractatur, ut Capitulares licite in eam consentiant.

1232 Deducitur 3. jura, quae alienationem rerum Ecclesiasticarum prohibent, intelligi solum de illa, quae continet translationem domini directi, vel utilis in alium; hinc probabilius est, sub alienatione prohibita non venire consumptionem, vel transmutationem unius rei in aliam. Unde licitum est beneficiato ex calice vetusto, Ecclesiaeque non necessario, crucem necessariam fabricare; ex oliveo antiquo, & ferè inutili, vineam facere; quia non est alienatio, sed optima bonorum Ecclesiae administratio. & ita colligitur ex Navarro l. 3. Consil. conf. 6. Rodriguez. tom. 1. qq. regul. q. 27. art. 4.

1233 Deducitur 4. solennitates, à jure statutas, solum desiderari in alienationibus rerum immobilium, & mobilium pretiosarum, quae servando servari possunt, constat ex juribus alienationem prohibentibus jam allatis in principio à n. 1157. Quare pro alienatione rerum mobilium, quae servando servari non possunt, nulla opus est juris solennitate, ut habetur c. Nulli, h. t. Clem. 1. eod. Extravag. Ambrosia, de qua supra. Idem est de rebus modicis, & Ecclesiae parum utilibus. arg. c. Terrulas. 12. q. 5. Quae porro res dicantur modicae, ac Ecclesiae parum utiles? Quaranta, Barbosa, Riccius, & alii apud Castropalaum de Reverentia debita Eccles. d. unic. p. 15. n. 8. censent, relinquendum arbitrio prudentis, considerato tempore, ac loci consuetudine. Bonacina vero ibidem censet, quae valorem 10. aureorum non excedunt, modicas reputandas esse.

1234 Ex hoc deducitur 5. Eum, cui integra rerum Ecclesiae administratio commissa est, posse donare, vel alio modo alienare illa, pro quibus n. 1233. diximus non requiri solennitates juris, si ei visum fuerit, fore utile Ecclesiae, vel aliis piis operibus, sic Glossa in c. Nulli. V. immobilium; ac Panormit. ibid. n. 8. & alii; quod etiam intelligitur de rebus modicis, & Ecclesiae parum utilibus;

Tem. III.

Sic Castropal. cit. d. unic. p. 15. §. 2. n. 8; quia praesumi potest, quod Ecclesia non velit administratorem rerum Ecclesiasticarum ita rigidè tractare; sic Molina cit. d. 468. vers. licet praedicta solennitates; Aloysius Riccius in praxi fori Ecclesiastici, decis. 39. in prima edit. & resolutione 306. in 2. edition. Mascardus de Probat. conclus. 277. n. 12. Quaranta in Summa Bullar. V. alienatio n. 41. Sed not. dicta procedere, de rebus modicis, parum Ecclesiae necessariis, ac ex fine pii operis, seu virtutis, bonum Ecclesiae spectantis; quae omnia spectant eum finem, qui petit ejusmodi largitiones fieri ex fine virtutis, boni Ecclesiae, proportionaliter ad finem, non prodigè, non inconsideratè, non amore privati commodi, non sine politico politicae pravæ.

§. II.

An solennitates juris necessariae sint in cessione juris, vel rerum Ecclesiasticarum permutationibus?

1235 IN hac quaestione considerari potest vel jus acquirendum, vel jam acquisitum in re cedenda, vel permutanda. Pro resolut. not. 1. quaestionem non procedere de cessione, vel permutatione jure naturali, vel divino; sed tantum Ecclesiastico prohibita, juribus haecenus allatis; 2. alienationem dictis juribus prohibitam etiam latè sumptam, non venire sub prohibitione illorum, nisi translative alicujus juris in alterum, quod prius Ecclesiae competeat, sive sit domini pleni, seu perfecti; sive solum imperfecti, quale est dominium solum utile, &c. 3. sermonem esse solum de rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis, & servando servari aptis, prout ex haecenus dictis colligi potest; quibus positis:

1236 1. Res Ecclesiae, ab eod. jam possessas, vel sub ejusdem dominio jam constitutas (in quibus scilicet jam habet jus acquisitum) sine dictis solennitatibus alienari non posse; secus, si sit res, in qua